De signis morborum, quae ex faciei habitu petuntur : dissertatio inauguralis semiologica ... / auctor Daniel Morel.

Contributors

Morel, Daniel.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1836.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pp6h99cc

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

B

DE

SIGNIS MORBORUM, QUAE EX FACIEI HABITU PETUNTUR.

DISSERTATIO

INAUGURALIS SEMIOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.,

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

DANIEL MOREL

HELVETUS.

OPPONENTIBUS:

A. KUEHN, MED. ET CHIR. DR. PRACT.

C. CHOŃSKI, MED. ET CHIR. CAND.

H. SCHERBEL, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b22484176

PATRI DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO,

Faciem illam esse corporis humani partem, ubi mutationes cunctae, quae in organismo, qualicunque graviori modo adfecto accidunt, tanta cum diversitate et adeo certa pinguntur ratione, ut ex illius consideratione, aeque de animi, ac de corporis statu, judicium ferre valeamus, neminem fugit. Mutationes autem illae tantas subeunt varietates, ut non modo, cujusque partis organismi gravior adfectio, verum etiam, diversae ejusdem organi adfectiones, diversum faciei imprimant habitum: ita faciem in gastralgia, plane alia quam in gastritide praebere symptomata, notum est.

Etiamsi illa, quae sanitatis tempore, ex physiognomia desumuntur signa, pauca, et incerta tantum, ex defectu forsitan observationis, nobis ostendant, illa tamen, quae durante morbo sese manifestant, maximi esse debent momenti, haec enim constantia sunt, et saepissime, voluntatis imperio amplius non obsequuntur, dum illa e contrario transitoria tantum sint, et diversissimis voluntatis rationibus subjiciantur.

Peculiaris anatomica partium faciei distributio, et exinde derivandae physiologicae ac pathologicae illius cum reliquo organismo conditiones, diversarum mutationum, quae hic in morbis contingere solent, rationem atque gravitatem indicant.

Facies praetermissis turgoris modificationibus, quas ut pars vasis sanguiferis ditissima subire potest, talibus instructa est musculis, qui et situ suo, et reciproca inter se relatione, vel minima nervorum actione, illius ductus mirum ad modum mutare possunt. Nervi faciem prospicientes large in tota illius distribuuntur superficie, arctamque cum reliquis organismi nervis servant juncturam, quum indole sua et fabrica ad eos pertineant, qui mixti dicuntur, et modo sensibili, modo motoriae praesunt sphaerae, permultas in partibus, quae ipsis obediunt, producunt mutationes.

Quamquam nervus facialis nonnullas sensibiles a nervo trigemino obtineat fibras, et anastomoseos Jacobsonii ope cum nervo sympathico magno jungatur; attamen tanquam motorius faciei considerari debet. Imperium illius ad cunctos faciei musculos extenditur, illorumque motus dirigit, jure itaque nervus physiognomicus et etiam nervus respiratorius faciei dici potest, si quidem dum respiratio difficilis et anxiosa est, in consensum trahitur. — Nervi trigemini ramus primus et secundus ad nervos pertinent mere sensibiles; ramus autem tertius, qui portione minori, et exigua portionis majoris parte constat, nervorum spinalium adinstar, qui duplici ordiuntur radice, motorius et sensibilis est, uti ex illius distributione evidenter patet. — Praeter hanc peculiarem, quam possidet nervus trigeminus indolem, con-

nubio, quod cum nervis tam animalibus, quam vegetativis, servat, illorum functiones diverso modificare valet modo, et diverse adfectus, varia in facie producit symptomata. — Prae omnibus cum nervo sympathico magno triplici jungitur vinculo: imprimis quidem, nervus naso-ciliaris jungitur cum ganglio ciliari, quod ramum ex nervo sympathico magno obtinet; dein ganglii sphaenopalatini ope, hoc nempe in loco, ubi ramus profundus petrosus nervi vidiani, qui ad sympathicum pertinet, ex parte carotica sympathici provenit, cum ramo secundo trigemini jungitur; ganglion denique oticum *Arnoldi*, quod secundum *Bendz*, ab illa nervi sympathici parte, quae a ganglio supremo provenit, dependet, nonnullas vegetativas ad ramum tertium trigemini mittit fibras (1). Praeterea jungitur ramus ille anastomoseos Jacobsonii ope cum nervo faciali et glossopharyngeo.

Talis nervorum faciei contextus efficere valet, ut omnis corporis adfectio, quam abnormis excipit nervorum status, diversas, pro diverso adfectionis modo, mutationes excitet. — Organa etiam sensuum externorum, quae in facie praecipuam habent sedem, multisque scatent nervis, ob insignem, qua pollent, sensibilitatem varium induere possunt habitum, multaque ad morbos diagnoscendos praebent signa.

Antiquissimis jam temporibus haec faciei in dignoscendis morbis gravitas nota erat, et jam senex monuit Cous, ut medicus, dum aegrotum inspiciat, prae aliis illius examinet faciem, quae si adhuc sanae similis sit, nondum instare mortis periculum. — Sed illa, quae in

---

(1) J. Muelleri Physiologia. T. I. pag. 767.

hunc finem antiqui proposuerunt praecepta, dum etiamtum physiologiae leges in tenebris versarentur, manca et imperfecta esse omnino debuerunt. Recentiori tempore, dum examinis aegrotorum objectivi magis magisque innotuit gravitas, varias medici circa faciei examen posuerunt regulas, et exinde variae exortae sunt theoriae, inter quas illa, quam *Jadelot* in medium protulit, prae omnibus nostram meretur adtentionem.

Ille nempe assentit observationibus antiquorum medicorum, morbos cujusque trium majorum corporis cavorum propria sibi et peculiaria in facie producere symptomata, quae pro morbi diversitate semper diversa esse solent. *Jadelot*, qui observationes suas in infantibus tantum instituerat, contendit tres lineas in facie eorum, secundum morbos quibus adficiuntur, diversas adesse.

Prima eorum *linea oculo-zygomatica*, vel *linea ocularis*, ab auctore dicta, originem ab angulo oculi interno ducit, et in loco, ubi os zygomaticum maxime prominet, terminatur. Altera, *linea nasalis*, a superiori alae nasi parte orta, circa musculum orbicularem labiorum decurrens, hemicyclum describit, et in externa ejusdem musculi parte desinit. Tertia denique, *linea labialis* ab angulo oris incipitur, ac deorsum decurrens sensim sensimque in mento finitur.

Linea oculo-zygomatica, cerebri et systematis nervosi affectus denotat, et secundum *Jadelot* diagnosin eclampsiae, epilepsiae, convulsionum, tetani, hydroencephali et omnium encephali passionum adjuvat, quas convulsiones, turgoris vitalis defectus, et totius faciei emaciatio, excipiunt. Ubi haec linea sub adfectionibus pectoris et abdominis adparet, transitum morbi primitivi, in

tussim convulsivam, et complicationem adfectionum cerebri, cum morbis primarum viarum denunciat. Masturbationis quoque signum est.

Linea nasalis morborum abdominis praebet symptoma, et pathognomonicum peritonitidis est signum. Linea haec juncta etiam cum priori occurrit, et complicationem adfectionum cerebri cum morbis adparatus digestionis indicat. Convulsionibus ex vermibus originem ducentibus familiaris est.

Linea denique labialis de morbis pectoris et colli certiores nos facit, nec solum illos praesentes esse, verum etiam instantes praenunciare solet. Chronicorum morborum qui hic occurrunt, haud alienum est symptoma.

Theoriam hanc, secundum diversas physiologicas ac pathologicas conditiones, inter cavitates corporis et faciem, neque minus secundum varias exinde deducendas nervorum adfectiones, stabilitam esse, ex superioribus apparet. Cuilibet notum est, adfectiones diversarum cavitatum corporis, diversas emaciationis species, quae saepe inopinato in conspectum veniunt, producere posse, quum autem facies, ut saepius jam monuimus, a repentinis et multis occupari possit mutationibus, fieri non potest, quin sub emaciatione ex malis organorum nobilium, quae in cavitatibus corporis habitant, proveniente, valde mutetur; unde rugarum et prominentium linearum formatio deducenda est. Etiamsi regulae, quas *Jadelot* ad morbos tantum infantium extendit, et quae adultorum etiam affectionibus adplicari possunt, saepe practicum habeant usum, sunt tamen casus, ubi natura morbi majorem quam illius sedes, ad diversas mutationes in facie

provocandas, exerceat vim. Exemplo sint, peculiares faciei ductuum alienationes, quae spasmis adsociantur, ubi causa morbi excitans in omnibus corporis cavitatibus haerere potest.

His praemissis, antequam ad illa, quae in singulis faciei partibus, diversarum adfectionum tempore adparent, transgrediar, de illis prius, quae in facie tota generatim spectata occurrunt, dicendum esse mihi videtur.

I. FACIES GENERATIM SPECTATA.

Est autem facies integra, 1mo ratione morbi: *naturalis*, valde *immutata*, et *Hippocratica*, seu *mortifera*. — 2do ratione coloris: *florida*, *pallida*, *plumbea*, *livida*, *flava* et *subnigra*. 3tio ratione habitus: *turgida* et *plena*, *contracta*, *rugosa* et *emaciata*. — Dum modo ductus faciei in morbis etiamsi ad speciem gravioribus, quam minime a statu normali abhorrent, quippe ex eo morbum nec gravem nec periculosum esse colligimus: e contrario vero, ubi facies subito mutatur, sine ulla manifesta causa, mali ominis semper est signum. Nam ut facies normali perquam similis in morbis gravioribus morbum et periculum minuit, sic valde mutata, in levioribus ad speciem morbis periculum auget. Inveniuntur tamen morbi nonnunquam periculosissimi, qui saepe propter malignitatem suam et hanc prae se ferunt anomaliam, ut adspectus aegroti, licet vires illius ad minimum reductae sint, nihil morbosi ostendat.

Facies florida, etiamsi sanitati vulgaris sit, saepe tamen ubi rubore nimio ac circumscripto pingitur; suspicionem, de malo aliquo latente moveat, necesse est. In morbis vero acutis, aestum internum, congestionem

sanguinis ad caput, febris periculum, et delirium imminens, eo magis denotat, quo magis cum loquelae tarditate, pulsu vehementi arteriarum temporalium, adspectu torvo et fixo, oculis rubris ac fulgentibus observatur. In adfectionibus encephali, et in febribus inflammatoriis, si memoratis symptomatibus, capitis gravedo, respiratio difficilis et anxietas praecordialis adsociatur, decretoriam significat epistaxin.

Saepe etiam *ruborem faciei fugacem* in illis, qui digestione languida, adsimilatione prava, et exinde haematopoeseos defectu laborant, uti in scorbuticis, observare licet; in quibus cum rubore illo fugaci, alia adfectionis systematis gastrici, et praesertim tensio in epigastrio, et adpetitus defectus adparent signa. In tabidis et in phthisi pulmonum conclamata adfectis, exacerbationem febris lentae et fatalem significat exitum.

Ominosa semper est facies, quae exacerbationis febris inflammatoriae tempore rubet, unaque sudore calido, vel frigido irroratur. Itaque enim indicant sanguinem spissum et inflammatum alieno haerere loco, exiguam expelli seri quantitatem, vasa capillaria faciei resolvi, ac fata instare. Non melior etiam illa est facies, quae sub morbi principium, nulla praegressa manifesta causa, a naturali et serena, merum in modum recedit, et cadaverosae similis fit: quum enim cum aliis copulatur signis encephalitidem perniciosam contrahitur, calorem et ruborem quasi flammeum repraesentat, et si non obstante rigore, quo detinetur, sudore minime levante obtegitur; morbi malignitatem et instans decernit periculum. Feliciori vero in casu cephalalgias graves, inflammationes pulmonum et alia inducit mala. Facies florida,

subito in lividam aut plumbeam conformata, in illis, qui Ascite, vel Hydrothorace laborant, propinquam denunciat mortem.

Faciei pallor pluribus ex causis oriri potest: modo enim ex cutis densitate majori et compage strictiori, modo ex mucosa, aut aquosa humorum cutim prospicientium miscella, modo denique ex interrupto adfluxu sanguinis ad cutem externam provenit. Universim facie pallida, aut saltem subpallida esse, sanis praestat, quam praerubra. At, si diutius subsistit, humorum indolem, ac mixturam pravam subesse, indeque nasciturum malum corporis habitum, uti phthisin pulmonum, chlorosin, hydropem, infarctum viscerum abdominis, scrophulosin aut helminthiasin instare animadverti potest. In morbis acutis pallor faciei semper ambiguum adnunciat morbi eventum, ex hoc enim de vis vitalis, quae sanguinem ad externas pellit partes, defectu, concludere licet. Eo majus minatur periculum, quo magis symptomata alia ominosa, uti calor internus intolerabilis, anxietas magna, ex inflammatione quadam gravi et occulta provenientia, praesto sunt: tali enim in casu completa faciei decoloratio suspicionem de gangraenae, aut sphaceli evolutione omnino movet. Exemplo sit angina gangraenosa, ubi faciei pallor a principio jam morbi, cum calore interno urente, et cum signis inflammationis vehementissimae invenitur.

In morbis chronicis facies pallida ad vulgaria pertinet symptomata, quoniam hic vis vitalis mali diuturnitate, ut sanguinem ad externa pellere possit, impar redditur. Hinc in infantibus helminthiasin, in foeminis autem menstruorum anomalias et pedisequam significat

chlorosin, quam denotant, facies antea florida, paullatim in pallidam, subpallidam, subviridem et flavam foede permutata, tumidus, mollis, et laxus corporis habitus; torpor, lassitudo, pedum inflatio et tumor, deambulatio tarda et vacillans, subitus aestus et genarum rubor, irritabilitas incredibilis, sensuum hebetudo, pulsus debilis, inaequalis intermittens, sanguis resolutus ac pallidus, adpetentia ciborum aut nulla, aut vitiosa.

Praeter haec facies pallida et contracta aut nervorum distentionem, aut humorum penuriam denunciat: illud fit in febrium accessione, in convulsionibus, in cardialgia, in nausea, et in animi deliquio; hoc vero post graviores morbos et post profluvia larga oritur. Ex eo etiam perspicuum est, cur facies talis et colore subfusco impraegnata sanguinis spissitudinem, illiusque vitiatam mixturam, et si labia simul pallor occupat, oculorum vigor superest, diuturnum et urgens malum superatum indicare debeat. Neque raro pallor cum vultu torvo, in peripneumoniae decessione observatur. Pallor, cum faciei foeditate, dyscrasiae ac cachexiae signum est, et pathognomonicum est symptoma, illorum morborum nutritionis, qui ex locali proveniunt malo, uti scrophulosis, tuberculorum pulmonum, scorbuti, arthritidis, aliorumque. Sin flava et crocea est facies, et simul albugineam oculorum ille occupat color, hepatis obstructionem et icterum flavum, et si subnigra et sublivida est, icterum nigrum indicat.

Ut pallida, sublivida, et quasi tabida facies in haemoptoicis novam mali accessionem portendit, ita lurida et quae oculis concavis, circulo livido quasi obsignatis,

necnon labiis pallidis notatur, malum corporis habitum, gonorrhoeam, et fluorem album denotat.

Tamen et *facies plumba* identidem observatur, ex qua magna humorum corruptio, viscera adfecta, et scorbutus colliguntur, et si pravum corporis habitum, vel hydrothoracem aut ascitem derepente talis facies sequitur, mors cito appropinquare solet.

Facies tumida, in chronico statu, viscerum adfectionem perversam humorum fabricam, hydropem, indicat, in illis vero, qui malis pulmonum laborant, in ultimo aegritudinis stadio malum est signum. In acutis morbis majorem humorum ad caput impetum, deliria, encephalitidem, et haemorrhagiam qualemcunque significat, praecipue autem, si faciei turgor cum oculorum splendore et rubore jungitur. In variolis paulum inflata, laete rubens, felicem exanthematis efflorescentiam, attamen ubi nimis tumida invenitur et rubescens, pustulas copiosas et confluentes praenunciat. Porro, facies tumidior, imprimis circa palpebram utriusque oculi inferiorem infarctum lienis significare solet, tumida et rubra apoplecticorum est, itemque post nimias oritur vigilias.

Contrariam plane faciei speciem illa constituit, quae *flaccida* et *extenuata* dicitur. Haec autem si in febrium acutarum principio, citra vigilias et dejectiones copiosas, vel post haec subito incidit, robur fibrarum fractum, vim vitalem prostratam, morbum insidiosum et haud raro lethalem significat; at, si sensim sensimque, ea ratione, quam supra diximus evadit, atrophiam et tabem subesse, scire licet. Hinc, ubi in morbis acutis facies inopinato contabescit, colorem, decusque amittit naturale semper suspecta et mala est.

Facies morosa et *austera*, quae cum taciturnitate jungitur, delirium et insaniam futuram significat, vultus autem austerus, morosus et decolor commune valetudinariorum est signum. Ex facie anxia, suique valde dissimili gravis morbi judicatio et haud rara mors colligitur; at ex anxia et pallida, sub qua tenuis et copiosa effluit saliva, cardialgia, crebra vomendi cupiditas et vomitus ipse dignoscitur. Neque minus gravis morbi indicium est, ubi quis faciem tristem et meditabundam, unaque vocem debilem et submissam habet, nisi haec omnia inediae, alvi profluvio, vigiliis vel qualicunque manifestae debentur causae.

Omnia omnino signa, quae hucusque commemoranda duximus, mala et ominosa per se esse, faciem, vultumque mutare incredibiliter possunt. Sed eo magis aegrum periclitari apparet, quo vehementius urgent, quo magis inter se consentiunt, et sub hac pessimorum symptomatum congerie ac conspiratione, facies maximopere a naturali forma deflectere, veramque mortis proximae imaginem repraesentare solet. Haec est *facies hippocratica.*

Insunt vero in facie hippocratica, cutis circa frontem dura et sicca, frons ipsa contracta et frigido defluens sudore; palpebrae subversae, pallidae, nec per somnum commissae, inter quas oculorum albuginea adparet, cornea, oculorum quasi argentea; humoris vitrei obscuratio et visus acies hebetata; oculi lumen refugientes, illacrimati perversi, imminuti vel sublimes, sordidi, lividi, nigricantes; nares acutae, subpallidae, decolores, labia lurida, mentum acuminatum; color totius faciei perpallidus, subviridis, plumbeus, lividus, niger; planeque corruptus; tempora collapsa; aures contractae,

languidae et imis partibus leviter versae, pellucidae, frigidae, itemque frigus faciei intolerandum. Ille status dum a morbi principio, citra evidentem oritur causam exitium futurum, idemque si in morbo adulto invenitur mortem e propinquo minatur. Minus autem terrere debet facies, quae a morbi malignitate haud proficisci videtur, sed a vigiliis, ventris resolutione, inedia et egestione quavis alia copiosa: in his extenuatio et collapsus faciei, omni caret periculo, nisi synchrona, gravia aliqua symptomata aegrum exercent.

Praeter hanc jam inde ab antiquissimis temporibus notissimam faciei speciem, nonnullae aliae certis morbis familiares, observandae sunt, et quidem: *Facies cholera morbo laborantium* anxietatem et inquietudinem, ad summum provectam denunciat. Tempora et genae collapsae sunt; labia coerulea, aut livida imperfecte tantum dentes obtegunt; nasus acuminatus, oculi concavi in orbita retracti, eorumque splendor ex integro fere extinctus, palpebra utraque annulo livido cincta, facies tota pallida, frigido irroratur sudore.

Facies typho laborantium. Haec ab initio praerubra, serius pallida est, et saepe rubore circumscripto genarum notatur, oculi splendidi, cornea obscurata, conjunctiva autem rubra, adspectus trux, labia convulsivo et tremente detinentur motu, narium margines, labia, gingivae, dentes, et lingua ipsa spissa, obteguntur fuligine, vultus anxietatem summam denotat. Facies typhosa, virium collapsum, typhum contagiosum, febres nervosas acutas, et febres inflammatorias, quae nervosum induerunt characterem indicat.

Facies trismo et tetano laborantium, anxietatem etiam,

ostendit, pallida est, et pars illius inferior naturalem amittit dimensionem, frons corrugatur, palpebrae conniventes, exiguam exhibent fissuram, in qua oculi splendidi adparent; ossa zygomatica prominent, circa oris aperturam sphaerica et dura formatur prominentia, quae in mento desinit, et spasmo orbicularis labiorum producitur. Haec facies est trismi per totum illius decursum itemque tetani, qui trismum excipere solet, pathognomonicum signum.

II. SINGULAE FACIEI PARTES.

Illis generatim expositis, quae in cuncta facie inveniuntur signis, ad ea signa, quae singulae illius partes offerunt adtentione digna, transire nos oportet.

1. *Frons.*

Frons superficiem fere planam, late extensam, cutaneo musculo, nervisque ex ramo primo trigemini, et partim ex ramo temporali nervi facialis, provenientibus, instructam, praebet. Unde patet, eandem plurimis subjici posse mutationibus, quarum rugositas et contractio frontis prae caeteris manifestantur. Rugae autem illae, quibus deturpatur frons, a spasmodica musculi frontalis contractione provenire solent, denotantque vulgo dolores graves, ex adfectionibus organorum abdominis originem ducentes; in statu vero chronico, insultum morbi convulsivi praenunciant. Pallor frontis, aut spasmodicam cutis contractionem, indeque prohibitum sanguinis circuitum, aut vasorum exinanitionem indicat: hinc in febri intermittente frigoris ingressus, sub quo cutis spasmo correpta cruoris ad externa adfluxum impedit, praenuntius est. Sin pallori illi, post nimias sanguiis egestio-

nes, et post morbos graves, quibuscum aliqua viscerum et humorum labes conjuncta est, frigus sese adsociat, ominosum est signum. Contra rubor et calor frontis, plethoram veram, sanguinis ad superiora congestionem denotat, unde ne gravissima capitis mala, uti cephalalgia acerba, faciei erysipelas, capitis gravedo, vertigo et apoplexia, nisi largiter sanguis e naribus effluat, oriantur, timendum est. In morbis acutis, si illis etiam respiratio difficilis, praecordiorum anxietas, continuae vigiliae, deliria et convulsiones superveniunt, internam et prae omnibus encephali inflammationem, mortemque propinquam significant. Exanthemata diversa, quae saepe frontem occupant, e varia origine sua, variam habent significationem. In febri intermittente haud raro decretoria videntur esse; in febri vero inflammatoria, exiguae papulae serpentes vehementerque prurientes, humorum copiam et adfluxum, brevique adfuturum sanguinis vel seri egestum denunciant. In iis, qui morbo longo detinentur, quorum viscera abdominalia adfecta sunt, in haemorrhoidariis, in foeminis amenorrhoea laborantibus, in arthriticis, persaepe impetigines malignae, in ulcera saniosa et late serpentia mutandae, quae totam occupant frontem, occurrunt, neque disparent, nisi aliqua vicaria instituta sit secretio. In hominibus lue venerea adfectis, apparet etiam peculiaris impetigo, quae propter situm suum, in tota superiori frontis parte, ubi lineam eminentiorem formare videtur, *coronae veneris* nomine indicitur, aliaque morbi jam evoluti praenunciat symptomata. Vulgo quoque impetigo haec cum doloribus osteocopis alternare solet, qui in fronte maxime saevitiam exercent suam, dum illa qualicumque suppressa est modo.

2. *Tempora.*

Sensus graviditatis et pressionis in temporibus, cum dolore capitis, et oculorum caligine junctus, haemorrhagiam ex naribus indicat; vehemens autem arteriarum, quae huc pertinent pulsatio, cum colore naturali, et praecordiis intentis atque elatis, morbum longum, sanguine e naribus fuso, singultu et nervorum distentione abigendum; et in genere narium haemorrhagiam deliria, convulsiones, et ea omnino mala, quae a copioso sanguinis ad cerebrum adfluxu proficiscuntur, significat. Sin morbus gravis ad pessimum finem vergere coepit, tempora adstricta esse solent, quemadmodum in cholera indica observare licet.

3. *Aures externae.*

Aures externae in morbis nonnunquam coeruleo pinguntur colore, id vulgo congestionem sanguinis ad caput denotat. Hoc signum inaequali sanguinis distributioni attribuendum, in febribus instans delirium et convulsiones praenunciat, quae eo majus minantur periculum, quo magis senescit morbus; ubi vero sub morbi acme adparet, decretoriam epistaxim instare significat. In statu chronico, caeteris paribus dispositionis ad apoplexiam vulgare est symptoma.

Pallor aurium debilitatem, sanguinis penuriam et convulsiones nonnunquam indicat. Aures flaccidae, frigidae, languidae, et imis partibus leviter inversae robur fibrarum sublatum, et mortem instantem testantur.

Abscessus circa meatum auditorium externum, immundiciem, corporis alieni praesentiam, metastases, scro-

phulosim et saepe dispositionem ad phthisim pulmonum indicant. Ulcera ibidem sita, eandem habent significationem, nonnunquam intimum cum tuberculis pulmonum habent nexum. Ulcera illa, diuturnitate sua, ad hunc extendi possunt gradum, ut membranam tympani destruere valeant, quod apud nonnullos phthisicos observatum est.

Abnormis ex auribus secretio (otorrhoea) variam semiologicam habet significationem. Secretio muci aquosi vulgo cum justa majori ceruminis aurei tenuitate juncta, functionem membranae mucosae auris externae laesam denotat; in genere vero passionis membranarum mucosarum signum est, unde sub secretione morbose adaucta tractus intestinalis, sub fluore albo, et sub blennorrhoea vesicae urinariae adparet. Scrophulosis tamen etiam familiare est symptoma. Nonnunquam tamen secretio haec salubriter incidit et graves cephalalgias tollit; sin temere supprimitur, infantes saepe numero, carie aut tabe periisse, nisi achor vel favus decrevit, aliis epilepsia, auditu gravi, et pessimis cerebri vitiis conflictos fuisse, notum est.

4. *Oculi.*

Oculi illam formant faciei partem, cujus in statu etiam sano tanta est vis et significatio, quanta est maxima ad intelligendas sensationes internas, et cunctas animi commotiones. Illos autem in aegris indices optimos, atque interpretes fidelissimos esse earum rerum, quae intus aguntur, neminem fugit.

Conditio atque status virium vitalium in nulla fere alia corporis parte tanta cum veritate et tanta cum

subtilitate, quam in oculis, in conspectum nobis veniunt, unde *Baglivius* recte monuit, ut medicus nunquam ab aegro, qui febri acuta laborat, discedat, nisi prius oculos illius diligenter examinaverit.

Haec magna oculorum ad dignoscendum statum virium vitalium gravitas a nervorum multitudine, qui hoc prospiciunt organon, et qui cum aliis organismi nervis stricto junguntur vinculo, re vera dependet.

Externae oculi partes nervos a ramo primo et secundo trigemini, et partim a nervo faciali obtinent; partes autem in orbita sitas, et ipsum oculi bulbum, prospiciunt par secundum, tertium, quartum et sextum, quod cum ramo secundo trigemini organicas a sympathico magno obtinet fibras; ganglion etiam ciliare in hac cum nervo sympathico versatur conditione.

Itaque organon, quod adeo copiosis instructum est nervis, facile diversas subire potest mutationes et diversa offerre symptomata, dum systematis nervosi qualescunque accedunt alterationes.

Ad signa, quae in oculis adparent, illa quoque, quae in partibus oculum circumdantibus observare licet, pertinent, ab his itaque incipiendum est.

Annulus coeruleus oculos saepe circumdans. turgoris vitalis et nutritionis defectus signum est, et debilitati universali, ex emaciatione, aut ex nimia humorum jactura proveniente, sese adsociat. Masturbationem quoque, coitum nimium, haemorrhagias profusas, menstruorum fluxum, diarrhoeas, sudores copiosos et suppurationes internorum organorum concomitari solet. Saepe etiam spasmos, febrem hecticam, pulmonum phthisim et hydropem praenunciat.

Annulus plumbeus, quo haud raro cinguntur oculi, debilitatis, dyscrasiae humorum, chlorosis, infarctuum viscerum abdominalium, chronicorum morborum ventriculi et intestinorum diagnosticum est symptoma. Spasmos, hypochondriae et hysteriae, febris intermittentis invasionem nec non menstruorum anomalias indicat.

Rugae in oculorum vicinia marasmo senili et spasmo propria sunt. Collapsus vero partium oculos circumdantium emaciationem in phthisicis, in febricitantibus autem inopinatum et ominosum virium prolapsum, quì mortem praesignat, indicat, et in agonia maxime observatur.

Quod ad palpebras attinet, in nonnullis adfectionibus illas praeter normam clausas esse observamus, quod symptoma mox a paralysi et diversa nervorum adfectione, mox ex tumore illarum, mox denique ex vitio quodam organico provenit.

Non raro nimia oculorum erga lucem sensibilitas (photophobia) hoc producit symptoma: dum modo durante quadam ophthalmia, scrophulosa praesertim et rheumatica, adparet, nihil exinde ominosi timeamus oportet, hoc enim ab ipsa mali natura dependet. At, ubi nec minimum inflammationis conspicitur vestigium, phaenomenon hoc ab instinctu non dependet naturali, et spasmo haud remittente evidenter producitur, tunc in morbis acutis periculum in propinquo adesse scire licet: metastases enim perniciosae in partibus centralibus systematis nervosi, sopor, convulsiones universales, et non raro validae mentis alienationes exoriri solent.

Prolapsus palpebrae superioris, saepissime ex paralysi completa musculi levatoris palpebrae superioris de-

rivandus, ex adfectionibus cerebri provenire solet, et cum depressione bulbi conjunctus, de hydrocephalo interno suspicionem movet. In helminthiasi consensualem nervorum passionem denotat. Tumorem palpebrarum illas clausas sustinere, omniumque fere validarum oculi inflammationum vulgare esse symptoma, cuilibet notum est. In infantibus recens natis, qui ophthalmoblennorrhoea laborant, tumor ille palpebrarum, ex conjunctivae degeneratione maxima proveniens ex parte, secretionem morbosam omnino supponit et habitum scrophulosum denotat.

Variolis naturalibus et morbillis laborantibus intumescunt palpebrae, dum stadium suppurationis adpropinquat, et dum crebrae in facie tota inveniuntur pustulae. Sed quamdiu ab iisdem liber est oculus, et quamdiu ophthalmia mitem intensionis adepta est gradum, symptoma hoc per se nullum minatur periculum; imo, ubi cum totius faciei tumore jungitur, bonum est, nam quo magis adfectae sunt palpebrae, eo magis de oculorum integritate concludere possumus. Ubi autem e contrario facies collapsa est, et tumor ad solas tantum restringitur palpebras, ominosum est signum.

In statu chronico tumor palpebrarum congestionem humorum ad superiores corporis partes justo majorem, et apud adultos ex hoc proveniens fonte, dispositionem ad apoplexiam significat.

Praeternaturalis et chronica palpebrarum passio, quae *ancyloblepharon* dicitur, quoniam ad signa morborum universalium haud pertinet, hic tantum commemoranda est.

Somnus oculis semiapertis vulgare est phaenomenon, et a spasmo tonico, qui musculum orbicularem palpe-

brarum detinet derivandum, tantum adtentione nostra dignum est, quantum spasmi in cerebri vicinia fixi de simili illius adfectione suspicionem movere possunt. Parvi tamen nobis est momenti hoc symptoma in hypochondriacis et in hystericis, ubi spasmi in diversis organismi adfecti partibus adeo vulgares sunt: inveniuntur etiam multi, quibus consuetudo inest semiapertis dormire oculis. In infantibus adauctae illorum irritabilitatis causa non raro observatur, quamvis nulla exinde proveniant mala: non raro tamen in illis, qui dentitione difficili, helminthiasi aut dyspepsia laborant, talis observatur somnus.

Contra, malum hoc est signum post humorum jacturam nimiam et post intentiones corporis validas, ubi in morbis acutis cum reliquis virium prolapsus signis jungitur, tum enim convulsiones universales, aut alia quae sensibilitatis organorum labem denotant symptomata, subesse conjicias.

Peculiaris et haud remittens fibrarum musculorum ad palpebram pertinentium tremor, vulgare etiam est symptoma, semperque in adaucta palpebrae, ejusque musculorum irritabilitate causam habet; et in statu chronico saepissime ante convulsionum et aliarum neurosium insultum, a labe quadam systematis nervosi dependentium observatur. Ita epilepsiae, dolorum faciei Fothergilli et nonnunquam mentis alienationum invasiones ab illo ordiri solent symptomate, — at in morbis acutis prognosis ex hoc statuenda signo, eo pejor evadit, quo magis irritabilitas illarum partium, cum virium defectu conjuncta, praeter normam adaucta est, et hunc involuntarium sustinet tremorem. Febres enim, quae hoc

peculiari stipantur signo, non solum encephalitides symptomaticas comites habere solent, sed etiam in soporem lethalem et in mentis alienationes gravissimas transire possunt, id quod a compluribus notatum est medicis.

Habitus et situs bulbi oculi a musculis eundem moventibus et a statu partium circumdantium dependentes magni momenti phaenomena in statu morbi nobis offerunt.

Dum oculi bulbus praeter modum eminet, facies vero intumescit et rubore multo suffunditur, aegro sanguinis ad caput congestionem, spirationem difficilem et suffocationem imminere perspicuum sit. Hoc symptoma saeviente praesertim angina maligna adparet, ubi sanguinis e capite refluxus impeditus exiguam nobis resolvendae inflammationis praebet spem. In aliis morbis acutis de cerebri inflammatione aut de periculosa aliqua depositione metastatica ad encephalon, ubi oculi subito prominentes evadunt et copioso injiciuntur sanguine, concludere fas est.

In morbis chronicis prominentia bulbi etiam congestionem humorum ad superiores corporis partes aut vitium aliquod organicum in orbita, aut denique destructam vel vitiosam bulbi formam significat. In apoplexiae et maniae insultibus oculi horrendum in modum prominere solent, et omnia signa reliqua impetuosam ad caput sanguinis congestionem denotant.

Vitia etiam organica, ut jam monui, orbitam occupantia, talem oculi prominentiam et veram exophthalmiam causare possunt; uti: exostoses diversae, hydatides glandulae lacrymalis, et atresia illius ductuum excretoriorum; polypi nasi et antri Highmori, sarcomata in diversis his locis haerentia, quae non solum oculi ipsius,

sed etiam totius lateris faciem producere valent prominentem. Accumulatio fluidi morbosa in corpore vitreo vel in camera oculi anteriori, aut hydrophthalmus etiam prominentiae oculi sistunt causam.

Oculi profunde in orbita retracti vel concavi modo telae cellulosae et adipis in orbita defectum, modo musculorum hic jacentium atrophiam, modo autem illorum contractionem spasmodicam significant.

Prima, quam nominavi, causa, saepissime hujus mali in culpa est, et in statu chronico dispositionem ad emaciationem universalem aut saltem nutritionem imminutam nobis indicat. Haec oculorum retractio subito atque inopinato adparere potest, post validam scilicet talium causarum actionem, quae vires debilitarunt et nutritioni aliquod imposuerunt impedimentum. Errores diaetetici omnis generis, vigiliae protractae, animi pathemata deprimentia, nimiae humorum jacturae, idem producere valent symptoma, nec tamen exinde dubia statuenda est prognosis.

Veteres medici nonnunquam in morbis oculum unum altero magis prominere observarunt: hoc procerto ab inaequali vis vitalis distributione et influxu, et a diverso adfluxu humorum dependet, et morbos, in quibus hoc manifestatur signum, semper periculosos esse, experientia edocuit. — Recentiori tempore phaenomenon hoc, ex spasmo proveniens, helminthiaseos signis sese adsociare visum est. —

Liber ac facilis oculorum motus, debitam virium conditionem, et normalem illarum actionem denotat. In omni itaque casu, ubi oculi immobiles permanent, aut ubi praeter normam mobiles evadunt, de praesentia impe-

dimenti alicujus, aut de anomala virium vitalium intentione, judicandum est. —

Rectus et continuus oculorum obtutus, semper fere spasmi tonici, quo musculi illorum detinentur, effectum sistit; significat exinde adfectiones systematis nervosi validas, ut hoc in aegrotis febri nervosa laborantibus observare solet; unde oculi fixi in qualicunque febri maligna ominosum sistunt signum. — In longis etiam morbis haec oculorum immobilitas adparere solet, et nonnunquam insultum epilepsiae aut apoplexiae praecedit.—

Dum unus, alterve musculorum oculi, spasmo aut tonico aut clonico detinetur, aliorum autem actio normalis, vel justa minor est, nascitur exinde peculiaris axis oculi dislocatio, quae vulgo distorsio oculi dicitur. —

In morbis acutis semper ominosum est hoc symptoma, cerebrum enim, propter eam, qua cum oculo tenetur vicinia, haud raro adfectum esse constat. — Timendi itaque sunt tetani, lethalis soporis et aliarum systematis nervosi adfectionum insultus, dum modo haec distorsio oculos aegroti occupet. — In hydrocephalo acuto mortem praenunciat. —

Haec tamen distorsio spasmodica omni caret periculo in morbis chronicis: praecedit epilepticos insultus, adsociatur hystericis adfectionibus, quin morbus qualicumque exinde aggravatur modo. Rotatio continua bulbi a dicto symptomate probe distinguenda est. Haec enim non solum spasmo unius alteriusve musculi, sed ab alternante omnium qui bulbum movent musculorum irritatione dependet; phaenomena itaque omnia spasmi clonici offert, quae si morbis acutis adsociantur, perniciosum in cerebrum exercere debent influxum. Ne mentis

alienationes, aut spasmi universales, ubi haud remittens illa invenitur oculorum rotatio convulsiva, oriantur, timendum est. —

In neurosibus longis, oculi rotatio, eodem quo distorsio explicare valet modo, et per se, morbi significationem mutare vix potest.

Membrana conjunctiva oculi, ad illas pertinens membranas, quae secundum disquisitiones anatomicas, a recentioribus institutas, pro diverso quo adficiuntur modo diversam induere valent naturam, varia et gravia in statu morboso offert symptomata. —

In normali statu conjunctiva oculi albida, peculiari praedita splendore, et hinc inde tenuissimis vasis instructa est sanguiferis, quae omni justa majori sanguinis ad caput congestione, ampliori volumine et rubedine laetiori donantur. —

Quamquam vero conjunctivae rubor praeternaturalis cum topicis vulgo jungitur adfectionibus, diversae tamen ejus species, et intensitatis modificationes, universalis mali quod in oculo tantum modo reflectitur, naturam atque indolem dilucidare valent. Ita, ubi ille conjunctivae rubor in violaceum, aut in coeruleum abiit, scrophulosim; ubi conjunctiva profunde rubro, inaequaliter disperso tingitur colore, et vasis singulis majoribus, quae abdominalia dicuntur instructa est, arthritidem; ubi rubor autem foedus, in profunde coeruleum abiens, et varicositates vasorum conjunctivae adparent, scorbutum; ubi denique rubor cupreus fit, syphilidem in organismo latitare, agnoscimus. In scarlatina, peculiaris conjunctivae oculi rubor, pathognomonicus est, essentialemque intra exanthema scartatinosum, et morbillosum, dum

prioris evolutio adhuc imperfecta est, aut ubi aliquid dubii circa diagnosim invenitur, efficit differentiam.

Si post capitis vulnera rubor ille intensus adnatae cum doloribus obtusis in loco adfecto junctus adparet, licet nulla ossium fractura secuta sit, ne meningitis successu temporis exoriatur, timendum est. —

In angina faucium gangraenosa, et in cunctis febribus malignis, quibus debilitatis sese adsociant signa, specialis adparet conjunctivae sanguine suffusio, quae sanguinis in resolutionem indicat nisum, infaustumque praenunciat morbi exitum. Praecipue grave est hoc symptoma, dum post nimias humorum jacturas et vomitum violentum in conspectum venit. —

Est tamen, ubi rubor conjunctivae tanquam epistaxeos praenuncius considerandus sit. Sed hoc in levioribus tantum occurrit febribus, ubi virium vitalium sufficiens est robur, et ubi ex praegressis coctionis signis ex rubore et pruritu nasi, nec non ex capitis gravedine morbum epistaxi judicandum esse, concludere valemus. Dum modo chronicus fit, conjunctivae rubor dispositionem ad apoplexiam denotat: sin certis recrudescit periodis, et cum cephalalgia, et virium prostratione jungitur, suspicium de febri intermittente larvata omnino movere debet. —

Naturalis oculorum splendor, partim a lubrica corneae superficie, ex qua tenuissima sanitatis tempore secernitur lympha, partim a motuum bulbi, et praecipue iridis alacritate, derivandus est. —

Hujus symptomatis tanta est gravitas, ut saepe ex illo tantum de virium vitalium conditione aequum ferre valeamus judicium. In omni enim morbo, ubi immuta-

tus ille permanet splendor naturalis, vires vitales debito praeditas esse tenore concludere possumus, etiamsi multa alia debilitatis adpareant signa. Atrox oculorum ignis ab intentione justa majori provenit, vulgoque cum motu rotatorio spasmodico bulbi, et cum adspectu feroci jungitur, in cunctis illis morbis, ubi virium vitalium manifestationes exorbitante praeditae sunt robore, et extra normam peraguntur, uti hoc sub maniae, epilepsiae et hydrophobiae insultu observatur. —

Post capitis laesiones ex hoc feroci et flammeo aegroti adspectu de commotione cerebri valida concludere possumus, et praeter illud symptoma contractio pupillae insolita locum habet. Defectus splendoris naturalis oculorum et inde iners adspectus modo ex tarditate motuum oculi, modo ex interrupta secretione, quae in tota oculi superficie peragitur, et imprimis ex virium vitalium debilitate provenit. Errores diaetetici omnis generis, vigiliae protractae, tristitia et moeror, saepe etiam spasmi simplices et topici, naturalem oculorum deturpant splendorem, qui tamen causa remota, subito restituitur. Ubi memoratae causae in culpam trahi haud possunt, invasio gravis alicujus morbi timenda est, ubi hoc adparet symptoma.

Morbo acuto durante eo majus minatur periculum, quo magis splendoris naturalis diminutio ad completam illius adpropinquatur exstinctionem et opacitatem oculi efficit. Hoc eo accidit tempore, dum lacrymae et alii oculi humores interarescunt quasi, et tenuissimae lanugini vel aquarum aspergini similes fiunt, denotantque vascula minima impervia esse, humores crassos et debilitatem ma-

gnam; qua de causa omnes febres, quae hoc stipantur signo, ambiguam reddunt prognosin.

Aegri febri hectica detenti, qui hoc notantur symptomate, mortem in propinquo habent; in febribus autem nervosis lemae istae, a veteribus dictae, inflammationem cerebri et febres validas denotant. Adspectus languidus et tristis aegroti adtentionem etiam medici convertere debet. Ubi nullae morales tristitiae inveniuntur causae, adspectus ille tristis sensum internum ingratum et tristitiam nimiam, a periculi imminentis conscientia provenientem significat, quod saepissime majoris est momenti, quam alia symptomata cuncta. Nullus adest morbus, in quo haec adspectus tristitia magis, quam tempore lucido in hydrophobia distinguatur, et semper periculum portendit.

Cornea oculi plura etiam nobis offert symptomata morbosa, quae ex morbis universalibus suam deducunt originem. Corneae obscurationes omnes a triplici producuntur causa; cicatrices nempe post exulcerationes, aut vulnera, porro exsudationes post inflammationem et symptomatica denique mala hoc efficere valent symptoma.

Convexitas corneae naturali major, e congestione sanguinis ad caput proveniens, delirium et furoris insultum; concavitas contra illius ex colliquatione derivanda adpropinquantem designat mortem.

Quae ostendit iris symptomata morbosa, ad illam ipsam vel ad pupillae conditionem referuntur. Priora, quae topicis adsociantur morbis, hic memoranda haud veniunt, de alteris igitur tantum dicendum erit. Alternans dilatatio et contractio pupillae, quae ab organicis non provenit vitiis, ab actione nervi oculo-motorii om-

nino dependet: lux enim uti ex *Maji* experimentis patet (1), retinam irritat, quae actionem ejusdem cum cerebro communicat, et haec a cerebro in nervum oculomotorium, et in ramum breviorem ganglii ciliaris reagit.

Anomala et mere dynamica pupillae contractio ab iridis spasmo provenit statumque analogum cerebri et totius systematis nervosi ostendere solet: unde encephalitidis, primi stadii hydrocephali acuti, febrium, quae congestionibus ad caput stipantur, essentiale est symptoma; adsociatur etiam delirio et convulsionibus infantium. Dilatatio e contra pupillae sensibilitatem nimiam praegressam, quae continuata irritatione justa majori paralysin illius efficit, demonstrat. In amaurosi ut topicae paralysis signum adparet: in apoplexia, in tertio stadio hydrocephali acuti, in encephalitide et in cunctis illis febribus, quae cum adfectionibus cerebri decurrunt, in typho, in febri nervosa et in inflammationibus sic dictis nervosis, vulgare est symptoma, semperque ominosum portendit morbi eventum. Infantes denique vermibus laborantes dilatatam habere solent pupillam.

Defectus pupillae praegressam inflammationem aut destructionem singularum oculi partium indicare solet.

5. *Nasus.*

Nasus similia ac facies tota, durante morbo, praebere solet symptomata: mutationes enim voluminis et coloris nasi non minore quam faciei sunt significatione. In genere tamen plurima in naso observantur signa, quae

---

(1) J. Muelleri Physiologia. T. I. pag. 763—764.

cum cordis, hepatis, organorum sexualium et turgoris vitalis affectionibus, intimum servant nexum.

Nasus acuminatus, defectus turgoris localis signum est, in turgore universali diminuto ac nutritione depravata, in morbis cum emaciatione, in febribus nervosis, in sphacelo, post omnem nimiam et colliquativam humorum jacturam, provenire solet; humorum viriumque conditionem pravam, et lethalem praesagit finem.

Tumor nasi apicem occupans rubescens, mox congestioni ex topica irritatione, mox alicujus secretionis suppressioni, mox denique inaequali sanguinis distributioni attribuendus est. Ut signum inaequalis sanguinis distributionis, in menstruis et haemorrhoidibus suppressis, aut irregularibus, in digestionis vitiis, in statu pituitoso, in infarctibus, et in chronicis hepatis malis adparet; ita diabeti etiam adsociari solet. Tumor nasi cupreus, hinc inde acne rosacea, et venis superficialibus copiosis instructus, illis qui Baccho nimis indulgent familiaris est, denotat etiam chronicos hepatis morbos, scrophulas, syphilidem, et illas phthiseos species, quae ex affectionibus organorum abdominis oriuntur.

Tumor vero nasi a radice incipiens et in tota illius sensim sensimque diffusus superficie, anasarcae et ascitis pathognomonicum est signum.

Rubor nasi semper cum tumore, quem jam descripsimus, jungitur. Nasi autem pallor et frigus, sanguinis penuriam, nervorum distentionem, et si cum aliis malis jungitur signis extremum indicat periculum; iis, qui febri intermittente laborant, paroxysmum novum, et foeminis menstruatione irregulari laborantibus, chlorosim denunciat.

Plumbeus nasi color in angulo tantum illius occurrit, pravamque hoc in loco cutis nutritionem et dyscrasiam latentem supponit, hoc signum maxime evolutum in hydrothorace, in hydrope pericardii, in tuberculis pulmonum et in chronica illorum hepatisatione invenitur.

Nasus coeruleus secundi typhi maligni stadii, cholerae asphycticae et frigoris febrilis signum est. Impetigines diversae nasum invadentes, paucissimis tantum exceptis, ab universalibus dependent dyscrasiis, et ob multifarias, quas ostendunt mutationes, incerta tantum praebent morborum signa.

Vesiculae, quae saepe copiose ad margines nasi inveniuntur, catarrhi, febrium gastricarum intermittentium et pituitosarum crisim manifestant.

Defurfuratio epidermidis nasi, periodicae illius intumescentiae signum est; stases in abdomine, alvum tardam, et menstruationem abnormen indicat.

Motus alarum nasi, quibus nervus facialis praeest, unde nervus ille a *C. Bell* respiratorius facialis dicitur, in statu sano vix sub respiratione perspiciuntur, in statu autem morboso augeri praeter normam solent, quod tum locum obtinet, cum omnia respirationis organa in actionem trahuntur. Hoc symptoma, gravia viarum aëriferarum, cordis et vasorum majorum indicat impedimenta, quae si ad altiorem advehuntur gradum lethalia sunt.

Mucus tenuis et albidus, continuo e naribus stillans, irritationem membranae mucosae et congestionem, nonnunquam vero remissionem catarrhi narium, sinuum frontalium et tracheae praebet. Mucus fere aquosus magna in copia ex naribus fluit, dum congestio ad cerebrum naturali major est, phrenitidis quoque et hydrocephali cri-

ticum esse solet symptoma: unde in genere secretio muci ex naribus copiosa in morbis cerebri magni est momenti.

Evacuatio copiosa puris subflavi, spissi, striis sanguineis remixti, exulcerationes in naribus denotat, quae mox benignae et simplices sunt, mox scrophulosae indolis, ubi nasus tumidus et dyscrasia scrophulosa invenitur ozaenamque indicant scrophulosam, mox vero ozaenae syphiliticae praebent symptomata. --

Materia puriformis, homogena, saepe vicario secernitur ex naribus modo, ubi menstruorum aut haemorrhoidum fluxus turbatus est. —

Non raro in febribus humor tenax secernitur, qui in parte interna alarum nasi, circa orificia narium externa, conglutinatur et nigricantem, quae exsiccatur format massam, quae fuligo narium dicitur, summamque virium prostrationem, et humorum ad resolutionem proclivitatem significat; uti hoc in febribus nervosis et putridis, in typho, in febribus exanthematicis, quae nervosum habent characterem, et in encephalitide in conspectum venit. In nulla tamen febri hoc signum majorem indicat debilitatem, quam in pneumonia typhode, in dothienteritide, itemque ubicumque, ubi febres, quae inflammationes validas comitantur, in nervosas transeunt. Ubi sub finem phthiseos floridae et scorbuti, cui febris putrida sese adjunxerat, manifestatur, funestum praesagit finem.

Haemorrhagia ex naribus, *epistaxis*, semper universalem et topicam sanguinis ad caput congestionem indicat, ejusque excipere solet signa.

Epistaxis diagnosticum est symptoma omnium encephali morborum, qui cum sanguinis impetu versus caput

junguntur, in acutis et chronicis pulmonum cordisque malis, in obstructionibus hepatis et lienis, in haemorrhoidum et menstruorum fluxu suppresso, in scorbuto et in morbo haemorrhagico Werlhofii: in febribus vero exanthematicis et inflammatoriis, tamquam symptoma necessarium adparet. Crisin autem consistit, in febribus inflammatoriis et in inflammationibus cunctis, praesertim vero in encephalitide, in pneumonia, in pleuritide, splenitide et in hepatitide.

6. *Genae.*

Genarum cutis tanta vasorum multitudine et tanta telae cellulosae copia instructa est, ut diversissimas, quo ad colorem et quo ad volumen, subire possit mutationes.

Genarum tumor subito exoriens, ex sanguinis congestione ad vasa faciei aut ex accumulatione seri in tela cellulosa genarum provenit, id quod principium hydropis anasarcae indicat.

Collapsus chronicus genarum, turgoris vitalis defectus, nutritionis pravae et emaciationis signum est. Ubi vero subito est exortus collapsus, saeviente quodam morbo acuto, nisi hujus symptomatis manifesta adest causa, fata instare, scire licet.

Genae laete rubentes vel in ipsis sanis suspectae sunt: si enim rubor ille subito post pastum oritur, occultam viscerum labem, in tabidis exacerbationem ostendit; praeter haec familiaris hypochondriacorum, hystericarum vel haemorrhoidibus laborantium est. Porro pessimum est signum, ubi in morbis longis et lentis rubor genarum circumscriptus, et febricula continua, quovis vesperi insurgit, respiratio difficilis, tussis

crebra, oculi concavi, pedes tumidi et ciborum fastidium oriuntur: tum enim febrem hecticam adesse manifestum est.

Profundus genarum rubor sensim sensimque in conspectum veniens, impeditum sanguinis ad cor refluxum, ex quodam cordis, aut vasorum majorum vitio provenientem, significat.

7. *Os.*

Os magnam phaenomenorum congeriem nobis ostendit in diversis suis partibus, quae non solum cum organis digestionis et respirationis, verum etiam cum universo organismo arcto tenentur vinculo. Phaenomena haec cardinalia, ex forma oris, ex labiorum illarumque partium, quae in cavitate oris inveniuntur motu et conditione colligi possunt. Partes autem, ex quibus os constituitur, iisdem ac reliquae faciei partes instructae sunt nervis, analogis ergo mutationibus, similique ac illae gaudent sensibilitate.

Cunctae mutationes, quae oris formam spectant, mox a musculorum actione anomala, mox a labiorum aliarumque partium degenerationibus derivandae sunt. Deformitas oris, sine partium degeneratione orta, suppressum, aut improbe directum voluntatis influxum in musculos manifestat, quod ex continuo et passivo quodam motu illorum dignoscitur; ubi hoc phaenomenon ut convulsionum symptoma adparet, periculum semper portendit, saepeque delirium praenunciat.

Os continuo clausum spasmum, cujus musculus orbicularis labiorum, musculi incisivi, masseter et temporalis participes sunt; aut anchylosin articulationis maxil-

lae inferioris indicat. Quod symptoma, ubi inopinato, id, quod saepissime contigit, adparet, trismi vulgare est signum. Hujus ope, cerebri et medullae spinalis inflammationem, hydrocephalum, epilepsiam et diversos spasticos status dignoscere valemus; doloribus quoque faciei *Fothergilli* adsociatur.

In hystericis insultibus, ubi hoc adparet symptoma, synchronam et gravem cerebri adfectionem indicat, maxime autem periculosum est ex hac etiam ratione in febribus rheumaticis, in stadio suppurationis variollae verae, in omni morbo acuto, et apud infantes trismo adfectos, ubi saepissime tristem praenunciat exitum.

Sin hoc symptoma a spasmo haud provenit, et in obstaculo quodam mechanico, aut in articuli vel vicinarum partium inflammatione causa ejusdem haeret, cum labia plane libera esse solent, et omni in directione moveri possunt.

Os praeter normam apertum, apud nonnullos ex prava conspicitur consuetudine, alii vero, quorum nares polypi, aut alius vitii organici causa occlusae sunt, os aperiunt, dum ipsos aëra inspirandi necessitas urget. Oritur etiam hoc symptoma ex paralysi musculorum, qui motus maxillae inferioris efficiunt, aut ex spasmo musculi digastrici, depressoris labii inferioris et anguli oris; aut denique ex causis mechanicis, quae maxillam inferiorem a superiore amovent, uti abscessus linguae et luxatio maxillae. Os continuo apertum in morbis acutis altiorem gradum debilitatis virium denotat, saepe itaque apoplexiae, delirio, oculorum obnubilationi, aliisque, adsociatur.

Si in morbis acutis, sitis insatiabilis, et aestus in-

ternus vehementer urgent, os apertum est, etiamsi motus illius voluntarii adhuc supersint; ubi vero musculares motus voluntatis imperio amplius non obsequuntur, phaenomenon hoc, si ex causa non provenit mechanica, periculum portendit, semper enim cerebri adfectionem, quae minima data causa in pessimam mutari potest, manifestat.

Peculiaris in proboscidem oris accuminatio, in genere neurosium insultum praenunciat, in specie autem omnis vesaniae signum est; in febribus delirium instans denotat.

Os obliquum fieri solet, cum musculi unius, alteriusve lateris, actione sua et vi alios exsuperant, aut dum atresiae alicujus, vel tumoris causa os naturalem suam amittit formam. Hoc symptoma temporatim occurrens ex spasmo oritur; longe vero permanens, paralysin significat, et diagnosticum organicorum morborum cerebri praebet momentum; in febribus metastasim morbosam in cerebro, virium summum collapsum, et mortem jamjam advenientem indicat; nonnunquam apoplexiae insultui adsociatur. Talis oris contractio, aliquam cum risu habet analogiam, quamquam oculi et vox non illam ostendant hilaritatem, quae risum ex gaudio, et voluptate provenientem comitari solet et *risus sardonicus* vel *sardoicus* vulgo dicitur. Ad illam oris contractionem musculi levatores labii superioris et anguli oris, anguli nasi et musculi zygomatici, lateralem oris motum perficiendo, maxima pro parte contribuunt. Quum autem nervi paris quinti et septimi, qui cum nervis spinalibus et cum nervo sympathico magno intimum servant nexum, illis praesint motibus, symptoma illud in multis

morbis occurrere debet. In statu chronico risus sardonicus, diu persistentem systematis nervosi debilitatem, apud infantes vero, evolutam jam dispositionem ad morbos cerebri, qui a gastricis proveniunt turbis, denotat. Apud foeminas menstruorum anomaliis laborantes nonnunquam observatur.

Ubi encephalon symptomatice adficitur, uti in helminthiasi, in statu gastrico, in hysteriasi et hypochondriasi praesto esse solet risus sardonicus. Perturbationes criticas in febribus, et exanthematis retropulsionem in morbis exanthematicis saepe significat. Choreae St. Viti, nec non inflammationi diaphragmatis adsociari solet. Irritationes et inflammationes cerebri, quas denotat, semper mortem ex virium exhaustione praenunciant: uti in typho contagioso, in morbillis et scarlatina, in febri putrida, et in febri nervosa versatili.

Similem fere oris spasmum nobis offert, *spasmus cynicus* vel *risus caninus*, qui hoc tantum a supradicto differt symptomate, quod musculi utriusque lateris oris simul contracti sint, quo fit, ut labiis ad gingivas adtractis, dentes evidenter promineant. Significationem eandem, quam risus sardonicus habere solet.

8. *Labia.*

Signa quae in statu pathologico labiorum prae aliis manifestantur, ad illorum colorem, volumen, motusque referri possunt.

Labiorum volumen partim induratione chronica telae cellulosae, partim adaucto sanguinis affluxu et turgore vitali justo majori augetur. Tumor labiorum chronicus, cujus causa est induratio telae cellulosae, cum

chronica juncta inflammatione, scrophulosim evolutam, lupum nasi et stases viscerum abdominis ostendit: adparet etiam in nonnullis tuberculis pulmonum adfectis, in talibus nempe, quorum larynx et abdomen morbi participia fiunt; et nos ad dubiam prognosim statuendam omnino conducit.

Emaciatio praeternaturalis, utrumque simul occupare solet labium, et emaciationem universalem, a turgore et viribus vitalibus exhaustis provenientem, indicat. In conspectum itaque venit hoc signum post jacturas humorum copiosas, in nonnullis cerebri morbis, in febribus nervosis et in hecticis cunctis.

Laetus labiorum apud sanos rubor vario modo, dum morbo corripitur organismus, mutari potest. Saepe enim rubor ille, cruoris colori perquam similis fit, sanguinis tenuitatem, ruboremque a praevalente oxygenio justo majorem, unde dispositionem ad phthisim pulmonum, ad scrophulosim, et ad digestionis labes significat. Color labiorum profunde ruber, scorbuticorum est. Labia colore coeruleo, aut livido notantur, ubi venositas praevalet. Si hoc symptoma transitorium tantum est, congestionem aut stasim sanguinis, nisi vasa praeter normam dilatata sint, indicat, et suffocationi, stadio frigoris in febribus intermittentibus, insultui anginae pectoris, epilepsiae et cholerae proprium est. Continuus autem et permanens, dilatationis vasorum effectus est et pathognomonicum teleangiectasiae labiorum, morbi coerulei et vitiorum cordis est signum. Labia coerulea sub frigore febrili, congestionem sanguinis ad encephalon indicant, et ne tali in casu apoplexia aegrum vita privet, timendum est.

Pallor labiorum, magis ex sanguinis ejusque turgoris defectu, quam ex nutritionis vitio oritur, occurrit enim in omnibus morbis, qui cum sanguinis penuria junguntur: vulgo itaque hoc symptoma chlorosi, phthisi, apoplexiae nervosae, asphyxiae, lipothymiae, febri nervosae lentae et spasmo adsociatur. Nausea etiam et vomitus labiorum pallorem comitem habent.

Secretio labiorum, quae sanitatis tempore vix percipitur, et debitam tantum illorum sustinet humiditatem, vario quo ad quantitatem et ad qualitatem in statu morboso mutari solet modo. Labia sicca febri inflammatoriae, typho, dothienteritidi, et prae omnibus febribus exanthematicis propria sunt; nonnunquam etiam sub hypochondriasis et hysteriasis insultu talia adesse constat.

In compluribus morbis labia muco copioso obteguntur, quod statum pituitosum primarum viarum, febrem pituitosam, arthritidem atonicam, et febrem gastricam intermittentem in genere ostendit. Hoc symptoma in febri intermittente morbi levitatem, in typho autem complicationes ipso typho graviores ex adfectionibus ventriculi et intestinorum derivandas indicat. Fuligo labiorum eandem atque narium habet significationem, semperque gravem portendit morbum.

Exanthemata diversa in labiis, modo ejusdem ac totius cutis externae exanthemata sunt naturae, modo vero, ex primarum viarum anomaliis suam deducunt originem.

Hydroa labiorum criticum est symptoma, in catarrhosis et gastricis febribus, in febribus vernalibus et in illo vix perceptibili gastrico statu, qui in foeminis menstruorum fluxui sese adsociat, adparet.

Labiorum fissurae, per vices summe dolorificae exan-

themata praegressa, labiorum inflammationem, aut actionem violentiae externae qualiscunque supponunt.

Rigor praeternaturalis labium utrumque eodem tempore occupare solitus, spasmi tonici et prae omnibus trismi signum est.

Labia pendula, flaccida simul et pallida paralysi resolutae esse solent et apoplexiae insultum praenunciant, aut ipsum sequuntur; adfectionibus etiam cerebri et cunctis illis morbis acutis, ubi encephalon in consensum trahitur, sese adsociant.

Ardor labiorum, hysteriasin aut febrem intermittentem tertianam latentem et haud perfecte debellatam indicat.

9. *Mentum.*

Omnia in mento adparentia phaenomena, quae morborum symptomata aliqua offerre nobis valent, paucissimis tantum exceptis eadem fere sunt, atque illa, quae integrae faciei propria esse novimus. Sequentia tamen memoranda veniunt.

Rubor vividus et praeternaturalis menti, secundum *Gruneri* relationem inflammationis pulmonum pathognomonicum esse debet symptoma; attamen centies pneumoniam sine hoc occurrere symptomate, observatio docet.

Impetigines in mento prorumpentes, abnormis partium genitalium status, et in specie apud foeminas menstruorum fluxus inordinati signum praebent. Exigui albicantis noduli, lente et in superficie tantum suppurantes sycosin menti, saepissime ex causa syphilitica prove-

nientem indicant, offeruntque morbum, quem veteres mentagrae nomine designari solebant.

Pili nonnunquam hinc inde mentum viraginum et foeminarum deturpant, quae in annis climactericis inveniuntur, aut quarum menstrua inordinate fluunt.

Menti obliquitas a luxatione maxillae inferioris provenire solet.

Maxilla inferior demissa et pendula debilitatis summae, immobilitas vero illius, trismi, aut anchyloseos, aut denique adfectionis musculorum, qui ipsam movent, signum est. Mentum acuminatum, emaciationem nec non turgoris defectum indicat, et ad signa faciei hippocraticae pertinet.

Ego **Daniel Morel** *natus sum anno hujus seculi nono Lausannae in Helvetia, patre* **Joanne Ludovico**, *quem ut diu conservet* **D. O. M.** *precor, matre* **Estera** *de gente* **Buttex**, *quam a pluribus annis morte ereptam lugeo. Confessioni evangelicae addictus sum. Puer adhuc, una cum parentibus in Poloniam me transtuli, et primis litterarum elementis domi imbutus, in Lyceo Varsoviensi, dein vero in Lublinensi, litteris ad altiora studia viam struentibus operam dedi. Anno* **MDCCCXXVIII.** *studiis academicis maturus, numero civium in Universitate literaria Varsoviensi, a magnifico t. t. rectore Ill.* **Szweykowski**, *adscriptus, apud ordinis medicorum t. t. decanum Ill.* **Rolinski** *nomen professus sum. In hac Universitate quae sequuntur interfui praelectionibus:*

de physice **Beat. Skrodzki**, *de chemia Ill.* **Kitaiewski**, *de botanice Ill.* **Szubert**, *de mineralogia* **Beat. Hoffmann**, *de zoologia Ill.* **Jarocki**, *de anthropotomia theoretica et practica nec non de anatomia comparativa Ill.* **Rolinski**, *de pharmacia et pharmacologia* **Beat. Celinski**, *de physiologia et diaetetica Ill.* **Mile**, *de anthropologia, de logice et jure naturali Ill.* **Lach Szyrma.**

Anno **MDCCCXXXII.** *civibus academicis Almae Universitatis litterariae Jagellonicae Cracoviensis, a magnifico t. t. rectore Ill.* **Estreicher**, *apud ordinis medicorum t. t. decanum Ill.* **Kozlowski** *nomen dedi. Ex hoc tempore audivi: Ill.* **Kozlowski** *de medicina forensi, Ill.* **Jul. Sawiczewski** *de historia medicinae, de veterinaria theoretica, et de politia medica, Ill.* **Jakubowski** *de materia medica, de pathologia et therapia generali, Ill.* **Soczynski** *de arte obstetricia theoretica, de gynaecologia et paediatrica speciali; Ill.* **Bierkowski** *de chirurgia theoretica, de akiurgia, de desmurgia et mechanurgia, Ill.* **Brodowicz** *de pathologia et therapia speciali. Ad praxim medicam Ill.* **Brodowicz**, *ad chirurgicam vero Ill.* **Bierkowski** *me instituerunt.*

Anno deinde MDCCCXXXV. Berolinum me contuli et a magnifico h. t. rectore Ill. Busch civibus academicis Universitatis Fridericae Guilelmae adscriptus apud Ill. Mueller h. t. decanum nomen sum professus. In hac Universitate frequentavi: Clinica morborum infantium Cel. Barez, clinica chirurgica et ophthalmiatrica Ill. de Graefe, clinica ophthalmiatrica Ill. Juengken, clinica chirurgica Ill. Rust, clinica obstetricia Ill. Busch. In operationibus obstetriciis Ill. Busch, in ophthalmiatricis vero Cel. Angelstein me exercuerunt.

Nunc denique, quum in eo sim, ut superatis examinibus praescriptis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur, nihil restat, nisi ut omnibus praeceptoribus meis, Viris illustribus, palam quas possum gratias agam, nunquam eorum summe venerandorum memoriam, dum vixero, grato recolere animo, desinam.

THESES.

1. *Facies animi pathematum, corporisque passionum imaginem offert.*
2. *Actionis contagiorum diffusio supra organismum, per nervos fit.*
3. *Vis quae femur in acetabulo retinet, ab aëris atmosphaerici pressione minime derivanda est.*
4. *Helminthiasis non est morbus.*
5. *Nimia liquoris amnii copia foetus situm vitiosum efficere potest.*